



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

- IX. *Vt laici res defunctorum suscipere non audeant.*
 X. *De iure episcoporum in ecclesiis subiectas.*
 XI. *De iure ecclesiarum.*
 XII. *Vt adulteri & incesti pœniteant.*
 XIII. *Vt hereticorum & excommunicatorum societatem cuncti fugiant.*

P R Æ F A T I O.

ANNO incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris, habita est sancta Synodus decem & octo episcoporum apud urbem Tolosam, iussu domni papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam simoniacam hæresim, ac reparandum sanctæ ecclesiæ statum secundum priscorum scita Canonum, vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem archiepiscopos, qui adiuncto sibi Vvifredo Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, aliisque coepiscopis ceterarum urbium sancti Petri auctoritate & prænominati papæ iussione, sanctorum patrum... sequentes, hæc in prouinciis Galliæ atque Hispaniæ perpetim obseruanda æstimauerunt.

C A P I T V L A.

I.

Si quis episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinauerit episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter clericos, ipse gradus sui subiacet periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio, sed sit alienus eius dignitatis & ordinis quem per pecunias acquisiuit.

II.

Item placuit confirmare, sicut scriptum est, vt episcopus vel abbas presbyter ante triginta annos, diaconus vero ante viginti quinque non ordinetur, nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati,